

id est artica et antartica, id est superior et inferior, que inhabitabiles sunt superfluitate regnantis frigoris in eisdem. Et licet in eisdem^m perveniat radius solis, non sibi reddit calorem, ut in temperata facit luna de nocte, et ideo iudicantur esse ferocis et acerbe mansionis, et easⁿ inhabitantⁿ demones et multe anime a corporibus separate. Sunt similiter in divisione orbis due zone, que dicuntur temperate, equali calore et algore. Cum quolibet earundem participet caliditati^o perhuste et frigiditati frigidissime et ex earum contrarietate qualitatum^p fit equalis commixtio, et quia temperantia dictarum zonarum fit accidentaliter nec est naturalis per se, ideo una vice sunt calidiores^q solito et altera vice frigidiores. Quod contingit secundum accessum et recessum^r solis. Cuius species sunt quatuor: Prima est equinocalis, secunda stiptialis, tertia equinocalis et quarta stiptialis. Patet igitur, quod in anno bis est solis^s equinoctium scilicet in martio et in septembri et bis solstiptium^t scilicet in iunio et decembri. Ideo dicitur sol equinoctium, quia tantus est dies, quanta est^u nox^u mensura horarum duodecim, et istud contingit per universum orbem tam de subtus quam desuper. Cum vero sol intrat cancro in^v iunio et capricornum^w in decembri, est solstiptium^t, eo quod ipse sol ulterius non incedit. Unde amplius nequit ascendere quam in cancro nec descendere quam in capricorno et ideo dicitur stare, cum pervenit super talem punctum retrocedens paulatim id est de gradu in gradum, sicut paulatim antecessit. Et per tales actus quilibet circulus eorum duorum dicitur tropicus id est conversivus.

m) ipsis *M.* n-n) in (*über der Zeile nachgetragen*) eas habitant *E.* o) caliditate, darüber: -i *E.* p) quantitatum *M.* q) *zweimal, einmal durchgestrichen* *E.* r) excessum *M.* s) sol *M.* t) solstitium *M.* u-u) nox est *M.* v) *fehlt* *E.* w) capricornium *M.*